



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PURNEAËNSIS**\* QUODAM DETRACTO  
TERRITORIO A DIOECESI DUMKAËNSI, NOVA

IN INDIAE FINIBUS DIOECESIS CONSTITUITUR PURNEAËNSIS APPELLANDA Optatis concedere cupientes  
Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, de  
nova alia in Indiae finibus condenda dioecesi sollicite curamus. Ad opus enim evangelizationis in territorio septentrionali  
fluminis Ganges promovendum, petium est ut dioecesis Dumkaënsis divideretur. Nos fore simul confisi ut id in animarum  
bonum conduceret, sequentia decernimus atque Nostra iubemus auctoritate: territorium septentrionale districtuum  
civilium vulgo Purnea, Katihar, Araria et Kishanganj ab eadem dioecesi Dumkaënsi abstrahimus eoque novam condimus  
dioecesim Purneaënsem appellandam. Eius limites iidem erunt ac fines districtuum civilium, quos diximus. Episcopi  
Sedem in urbe Purnea statuimus, in ecclesia Deo in honorem Sancti Petri Apostoli dicata, quam ad gradum et dignitatem  
Ecclesiae cathedralis pariter extulimus, omnibus additis iuribus et privilegiis quae ad dioeceses pertinent. Hanc  
dioecesim metropolitanae Ecclesiae Ranchiensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium  
Evangelizatione subicimus. Cetera vero secundum leges canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda  
Venerabilem Fratrem Georgium Zur, Archiepiscopum titulo Sestensem atque Apostolicum in India Pro-Nuntium,  
legamus. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro  
Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Hanc denique Constitutionem Apostolicam ratam esse volumus sive nunc  
sive in posterum, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septima et  
vicesima mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Tharsicius Nardi, *Protonot. Apost.*

---

*s.n.*

\*A.A.S., vol. XC (1998), n. 11, pp. 829-830 © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana

---